

Objic. 2º Deus scrutator cordium sensus internos perspicit; *e.* non opus ut exprimantur externe. — R. *n. supp.* (cultum externum requiri ob necessitatem Dei, potius quam hominis).

Objic. 3º Ex argumento sequeretur ad omnem actum internum cultus requiri correspondentem actum externum; *e.* nimis probat, nihil probat. — R. *d. ant.* si praeceptum affirmativum obligaret pro semper, *c;* si ob honestam rationem patitur exceptionem, *n.*

Objic. 4º Actus externi nullam per se habent moralitatem; *e.* sufficit si actus interni correspondentes exhibentur Deo. — R. *a) tr. ant.* — *n. cons.* — R. *b) d. ant.* externi abstracte considerati, *c;* concrete prout exprimunt sensum internum, *n.*

CAPUT III.

DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

Propositio 74.

Tenetur homo perpetuum in se veritatis amorem fovere, proprium errorem nunquam intendere.

Stat. quaest. 1) Existere hominis officia aliqua erga seipsum, jam supra ostensum est, quum habeat personae dignitatem et naturam perfectibilem, quam excellentiam revereri, perfectionem prosequi secundum rectum ordinem teneatur.

2) Ostensum quoque est jam, illa officia non esse juridica, sed penes Deum solum esse, eorum observationem urgere, neglectum vindicare.

3) Restat ergo ut quae sint illa officia dicamus. — Hic primo de officiis quoad intellectum.

Prob. 1ª pars (*amorem veritatis fovere*). Plurima sunt hominis officia, sine quorum observatione homo finem suum attingere non potest; nec illa observare potest nisi veritates multas passim cum certitudine cognoscat; *a.* has cognoscere non potest nisi perpetuo veritatis amore sincero ductus; *e.*

Prob. min. Tales veritates multis undique fallaciis obnubilantur; *a.* has superare nonnisi prudens, constans, veritatis amor et inquisitio potest; *e.* (cfr. passim per totam logicam).

Prob. 2ª pars (*errorem non intendere*). Ordini morali contrarium est illud intendere, quod nullo modo potest per se ad finem ultimum subordinari; *a.* talis est error proprius; *e.*

Prob. min. Errorum per se Deus nullo modo nec causare nec intendere potest; *a.* quod Deus ita horret, hoc non potest esse medium ad gloriam Deo procurandam, ad Deo placendum; *e.*

Coroll. 1º Ergo materia circa quam homo quisque debet veritatem inquirere, errorum fugere, sunt maxime illa omnia quae ad vitam practice secundum moralitatem regendam; ad quod generatim sufficit ea scientia quae

DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SEIPSUM.

facili industria comparari potest de moralibus rebus; ad altiorem vero et difficiliorem scientiam illi soli tenentur qui ratione status sui munere fungi aliter nequeunt.

Coroll. 2º Ergo lege naturali illicita est arbitraria *libertas opinandi*, i. e. cogitandi et verum aestimandi quodlibuerit, sive haec libertas extendi velit a) ad omnia omnino (scepticismus universalis), — b) sive ad omnia etiam quae Deus revelaverit, quae ratione sola non attingantur (rationalismus), — c) sive ad ea omnia quae non ab infallibili magisterio imponuntur auctoritative tanquam dogmata revelata (liberalismus catholicus, seu semiliberalismus).

Coroll. 3º Ergo lege naturali illicita est etiam arbitraria *libertas omnia quaecumque audiendi vel legendi*, periculum proximum nempe quodlibet opinandi.

Propositio 75.

Tenetur homo voluntatem ita ad finem ultimum afficere, ut huic cetera omnia bona subordinet, ac ipse semper legitimis motivis in actibus suis moveatur.

Prob. Impossibile est ut homo rationalis vivat quin plurimos faciat actus humanos, i. e. libere volitos; in his autem debet homo officia moralia plura observare; *a.* impossibile est ut illa officia servet, nisi voluntatem ita ordinet sicut docet nostra propositio; *e.*

Coroll. 1º Ergo falsum est, quod aliquando audimus, nihil nisi *solum Deum esse* amandum, sunt enim omnes creaturae amanda, sed pro sua quae dignitate et subordinatione ad Deum ut ad finem omnium.

Coroll. 2º Ergo etiam lege naturali tenemur nostram voluntatem aliquatenus indifferentem facere circa res finitas, ita scilicet ut non unam rem potius quam aliam possidere, nec eam potius possidere quam non possidere cupiamus, propter solum nostrum commodum vel delectationem, sed tantum prout melius tanquam medium ad finem, ad gloriam Dei, nobis futura sit utilis; parati omnia potius rejicere quam peccatum admittere.

Propositio 76.

Tenetur homo facultates suas inferiores: vegetativas, sensitivas, appetitivas, locomotivas, facultatibus superioribus: rationi et voluntati, subordinare.

Prob. Rectus ordo et lex naturalis postulat ut homo suos actus humanos secundum moralitatem exerceat, et proinde ut media ad finem subordinentur; *a.* facultates inferiores sunt vere media naturalia ad facultates superiores homini data; *e.*

Ad min. 1) Facultates *vegetativa* ideo sunt datae ut organa aliarum facultatum formentur, augeantur, conserventur, parentur.

2) Facultates *sensitivae*, ut vitae prospiciatur, ut cognitiones sensitivae acquirantur quibus exercitium intellectus juvetur, imo oriatur.

3) Facultates *appetitivae* (sensibiles), ut voluntatis exercitium facilitetur per concursum passionum, habituum, etc.

4) Facultates *locomotivae*, ut voluntatis imperia executioni dentur, ut vitae prospiciatur sub ductu rationis et voluntatis.

Propositio 77.

Suicidium directum est lege naturae prohibitum.

Notiones. 1) *Suicidium* est procuratio propriae mortis. — Est *directum* si actio aliqua fit, vel omissio, ex qua immediate et per se sequitur mors, ita ut haec sit in se volita.

2) Est *indirectum* si actio fit, vel omissio, ex qua sequitur mors, sive per accidens (et sit non in alio volita, sed permissa); sive etiam per se (et sit in alio volita : cfr. supra propos. 13), ita tamen ut mors in se non appetatur, sed intendatur bonum ingens aliud, quod ex hac actione vel omissione per se et immediate sequatur.

3) Si vero bonum illud ingens mediate tantum sequeretur, tanquam ipsius mortis effectus, jam illud indirecte tantum procuraretur per mortem directe tunc procuratam.

Stat. quaest. 1) Non quaeritur utrum homo sit ita dominus suae propriae vitae, ut eam pro lubitu et sine ratione abjecere possit, nam hoc aperte inordinatum est.

2) Nec quaeritur utrum si intercederet expressa Dei jubentis voluntas, possit homo se interimere, nam hoc aperte ordinatum et obligatorium esset propter plenum et absolutum Dei dominium.

3) Sed quaeritur utrum homo in adjunctis difficillimis positus, possit licite privato arbitrio vitam projicere, directe mortem procurando. — Maxima difficultas est si quando ex adjunctis videat homo sibi legis naturalis observantium fore asperrimam.

4) Respondent, post *Stoicos*, *rationalistae* multi : licitum esse, imo heroicæ virtutis illud esse, si fiat ad vitandam magnam calamitatem sive propriam sive alienam, dederus, servitutem, et maxime ad vitandum periculum imminentem violandæ legis naturalis.

Prob. Lege naturali prohibitum est ne homo se ordinationi divinae providentiae subtrahat, et ita jus divinum laedat; *a.* per directum suicidium homo illi se subtrahit; *e.*

Prob. min. Ordo praesentis providentiae divinae est : ut ipse Deus, per causas secundas quas dirigit, quibus agentibus concurrit, circumstantias eas procuret ac determinet, in quibus homo constitutus tendat ad finem suum, scilicet ad gloriam Dei extrinsecam, certo gradu et modo, quem Deus præstiterit, procurandam; — *a.* huic directioni homo seipsum interimens se subtrahit; *e.*

ad maj. Deus sibi ipsi reservat determinationem hujus rei, cuius partem ipse per se procurat, et de ejus altera parte non dedit homini facultatem sapienter disponendi; — *a.* 1) Deus ipse per actionem causarum secundarum per se plura adjuncta nostrae vitae determinat, — 2) ex Dei voluntate, homo rerum circumstantias, leges multas et actiones ignorans, nequit sapienter (i. e. prudenter et cum certitudine aliqua) de cursu et adjunctis suaे vitae disponere; *e.*

ad min. Subtrahit se 1) *in praesens*, nam renuit ad finem tendere per tolerantiam constantem difficultatum et calamitatum in quibus constituitur; — 2) *in futurum*, nam non sinit a Deo provido naturaliter determinari modum quo ejus gloriam homo procuret in posterum; *e.*

Objic. 1º Actus fortitudinis est honestus; *a.* voluntaria sui occisio est actus fortitudinis; *e.* — R. *d. maj.* fortitudinis recte ordinatae, *c.*; inordinatae, *n.* — *c. d. min.* inordinatae, *tr.*; ordinatae, *n.* (violat jus Dei) — *alii verbis*: *d. min.* est actus fortitudinis moralis, *n.*; naturalis et materialis, sed ordini morali non conformis, *c.*

Objic. 2º Volenti non fit injuria; *e.* suicida sibi non facit injuriam. — R. *tr. ant.* — *d. cons.* non sibi, *c.*; non Deo, *n.*

Inst. Suicidio restituimus Deo suum. — R. *n.* (destruimus vitam praesentem et compositum humanum, opus divinum).

Objic. 3º Suicida de felicitate propter ingentes difficultates desperat; *e.* bonum suum intendit. — R. *tr. ant.* — *n. cons.* vel *d. cons.* intendit mente et opere, *n.*; intendit mente voluntarie erronea, sed opere sibi practice et efficaciter contradicit, *c.*

Objic. 4º Suicidium est aliquando unicum malis nostris remedium; *e.* licitum. — R. *d. ant.* remedium apparenſ, sed revera majus malum, *c.*; remedium vere sanans, *n.* *donec prob.* (de hoc ipso quaeritur).

Objic. 5º Licitum est medio unico uti, sine quo moraliter certus sit homo violaturum se legem naturalem; *a.* fieri potest ut, pro cognita sua fragilitate, alicui certum sit...; *e.* — R. *tr. maj.* — *d. min.* ita esset in statu naturae purae, *n.*; ita nunc in nostra natura lapsa, *sd.* nisi Deus supernatura media paravisset oranti semper certo concedenda, *c.*; nunc quum ea de facto paraverit ac promiserit, *n.*

Objic. 6º Saltem calamitas gravissima, et praesertim ingens periculum violandæ legis naturalis, est signum divinae permissionis ut homo eligat vel ita luctari vel morte fugere. — R. *d.* in his fieri potest 1) ut homo ratione turbata erronee judicet, et minuatur vel imo tollatur culpae imputabilitas, — vel 2) ut Deus positivo aliquo signo addito, v. c. interna illuminatione et inspiratione supernaturali, manifestet suam permissionem, *c.*; aliter adest per se jam signum sufficiens, *n.*

Objic. 7º Beneficiis renuntiare possumus si ea fuerint molesta; *a.* vita est beneficium a Deo concessum; *e.* — R. *d. maj.* beneficiis quae offeruntur libere acceptanda, *c.*; quae cum obligatione imponuntur, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 8º Gravissima calamitas vitae est necessitas eximens a praecepto affirmativo; *a.* procurare mortem, *v. c.* inedia, est tantum omissio officii affirmativi; *e.* — *R. d. maj.* a praecepto affirmativo quod non implicite et identice dicat praeceptum negativum, *c;* secus, *n.* (est hic praeceptum negativum se non subducendi providentiae divinae).

Objic. 9º Potest homo permittere mortem propriam potius quam subire velit operationem chirurgicam gravissimam, vel aliquid pudori contrarium (scilicet mala morti moraliter aequivalentia); *a.* eadem est ratio magnae calamitatis in vita fugienda per inediā et mortem; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min.* (in prioribus mors permittebatur non intenta in se, hic intenditur in se).

Objic. 10º Saltem excusant suicidam aerumnae gravissimae hujus vitae. — *R. d.* si ratio fuerit turbata, ac libertas proinde ablata, *c;* secus, *n.* (non est felicitas hujus vitae ultimus hominis finis).

Schol. 1º Aliis saepe argumentis probatur haec propositio, sed minus efficacibus, ut videtur; nam :

Dicunt 1º Deus solus habet summum dominium in vitam hominis; *e.* homo nequit de ea disponere. — Sed *R. d. ant.* summum et sibi soli totaliter reservatum, *n. donec prob;* summum, etiamsi dicatur homini participatum, sicut et dominium in bruta et plantas, *c.*

Inst. Etiam participatum hoc dominium homo nequit habere, nam *a)* non est distinctio realis, sed modalis tantum, inter hominem ejusque vitam, — *b)* non illud expresse accepit a Deo. — Sed *R. n. assert.* — ad *a*) : *tr.* et *n. supp.* (magis requiri); — ad *b*) : non expresse, i. e. non verbali revelatione, *c;* i. e. non clara manifestatione per circumstantias et necessitates, *n. donec prob.*

Dicunt 2º Suicida aut est innocens, aut reus; *a.* si prius, injuste plectitur; si posterius, illicite privata auctoritate plectitur; *e.* — Sed *R. n. supp.* (mortem inferri ut poenam).

Dicunt 3º Vita bonum ingens est; *a.* qui tale sibi bonum eripit, contra ordinatum sui amorem agit; *e.* — Sed *R. d. maj.* generatim, *c;* etiam in his adjunctis et aerumnis, *n. donec prob.* — *c. d. min.*

Dicunt 4º Tenetur quisvis societatis utilitatem quantum potest promovere; *a.* suicida *a)* privat eam suis actionibus et concursu, *b)* jus societatis laedit malo suo exemplo; *e.* — Sed *R. d. maj.* si ejus membrum est et manet, *c;* si extra eam est, vel exire vult, *n.* — ad *min.* ad *a*) : *tr.* sed *n. supp.* — ad *b*) : *n. donec prob.* quod ipsum hic quaeritur.

Dicunt 5º Omnia entia naturalem inclinationem habent ad conservationem sui; *a.* huic contradicit suicida, nam quaerit sui destructionem; *e.* — Sed *R. c. maj.* — *n. min.* — ad *rat.* addit : *d.* destructionem completam, *n;* mutationem status, liberationem, *c.*

Schol. 2º Quae in his argumentis dicuntur, vera sunt et argumentum nostrum confirmant et evolvunt; hoc solum ergo tenemus, illis non sufficien-

ter probatam fore propositionem si sola pro se afferantur; quum ea nostrum argumentum vel presupponant atque evolvant, vel minus clare idem dicant.

Propositio 78.

Suicidium indirectum, justas ob causas patratum, non est a lege naturae prohibitum.

Notiones. *Suicidium indirectum*, cfr. propos. praeced.

Justas ob causas, i. e. si nobile officium urget, v. c. intuitus altioris boni, universalioris, ... ex virtute justitiae, caritatis, etc.

Prob. *Suicidium indirectum* est actio vel omissio, ex qua sequitur agentis mors, ita tamen ut non mors in se volita sit, sed alius bonus effectus, quo cum mors sit connexa sive per accidens sive per se; — *a.* fieri potest ut, *justas ob causas*, licita sit illa actio vel omissio; *e.*

Prob. min. 1 part. (*si per accidens connexa*). Ex propositione praecedente 20 scimus talem effectum non esse agenti imputabilem tanquam malum morale; *e.*

Prob. 2 part. (*si per se connexa*). Ex eadem propositione 20 scimus talem effectum esse quidem de se imputabilem, ac proinde illicitam esse de se actionem; sed ex propositione 56 scimus, in conflictu jus fortius, ac proinde officium fortius (cfr. prop. 66) praevalere; — *a.* fieri potest ut ob graves causas, in conflictum veniant officia servandae propriae vitae et officia ordinis universalioris vel altioris (v. c. necessitas patriae, vel bonum caritatis supernaturalis...); *e.*

Coroll. 1º Ergo etiam proprii corporis mutilatio sine gravi causa non licita est, quia non licet temere pro lubitu se ineptum reddere ad varia servitia Deo praestanda, et ordinem providentiae propria auctoritate invertere; sed ad vitam servandam necessaria mutilatio licita est.

Coroll. 2º Ergo etiam ad vitandam nimis gravem chirurgicam operationem, licet se mortis periculo exponere, et passive se habere, mortem naturalem permittendo.

Propositio 79.

Tenetur homo suam valetudinem, externumque corporis ac rerum suarum cultum moderate curare.

Notiones. Ad facilitatem sint tres partes : 1) curanda valetudo, 2) curandus cultus externus, 3) sed cura moderata.

Prob. 1ª pars (valetudo). Tenetur homo efficere, ne se ad munia quae illi divina providentia implenda mandaverit, ineptum reddat, neve a via quam illa definiverit, proprio ipse arbitrio declinet; *a.* ad hoc requiritur cura valetudinis; *e.*

Ad min. Cura valetudinis in eo consistit quod homo ea vitet, quae corporis vitam et vires vel statim frangere, vel paulatim vitiare et extinguere possunt; eaque media ad vires restaurandas adhibeat quae in sua potestate habet.

Prob. 2^a pars (externus cultus). 1^o Pars hominis corporea nobile ac praeclarum Dei opus est; *e.* tenetur homo vitare quidquid abjectum vel turpe, sordidum vel ridiculum, vel humanae dignitati contrarium sit, in eo corpore tractando, vestiendo, locando, continendo.

Prob. 2^o Corpus hominis animae substantialiter unitum, necessario in animae actus et affectus influit; *a.* animae actus et affectus sunt elevandi et curandi; *e.*

Prob. 3^a pars (cura moderata). Cura nisi moderata sit, 1) magis officit quam prodest, ac ipsa suum finem impedit, 2) necessario impedit curam rerum superiorum, facultatibus superioribus utitur tanquam mediis ad inferiora curanda; — *e.* invertit rectum ordinem.

Coroll. Ergo existimandum non est, *omnia* quae ad externum decorum spectant, *a solis* adjunctis, opinione et consuetudine hominum pendere; quamquam magna *ex parte* id concedendum est.

Propositio 80.

Vitae austertates, virtutis causa prudenter susceptae, licitae sunt et laudandae.

Notiones. *Austeritates*, i. e. durus et asper modus vivendi ac proprium corpus tractandi, sive convenientium privatione, sive etiam positiva physici doloris inflictione.

Virtutis causa, i. e. vel quia ad finem ultimum obtinendum sint homini eas suscipienti moraliter necessariae, vel ad eum facilius ac perfectius obtinendum valde utiles.

Prudenter susceptae, i. e. ita intra limites contentae, ut quamvis de corporis viribus nonnihil deterrent, nunquam tamen in morbum inducant, nec virium intellectualium et moralium exercitium impedian.

Stat. quaest. Protestantes et recentiores omnem corporis castigationem, tanquam juri naturae adversantem, et ascetarum dementiam reprehendunt.

Prob. Moderata vitae austertas, 1) viribus corporis multum favet, nedum eas frangat, 2) etiam si illis aliquantulum noceret, si virtutis causa suscipitur, ad finem ultimum est medium aptius quam illae abundantiores vires, eisque praefferri potest, 3) etiam si per accidens vitam ipsam paulo abbreviaret, licitum tamen est minus et particularius bonum negligere propter bonum majus et universalius, ejusque amissionem permittere (non ipsam intendere).

Propositio 81.

Tenetur homo suaे bonae famae curam moderatam habere.

Prob. Existit officium adhibendi media licita et necessaria ad officia diversa implenda; *a.* bonae famae moderata cura est medium licitum, et saepe necessarium ad diversa officia implenda; *e.*

Ad min. 1 part. (licitum). Bona fama est in se bonum indifferens, non moraliter malum; eamque moderate appetere naturae rationali convenit, scilicet eam ut medium indifferens ad bonum finem.

Ad 2 part. (necessarium). Sine bona fama saepe impossibile est vitam propriam et familiae conservare, necessariis ad statum providere, officia propria implere v. c. magistratus, sacerdotis, magistri, mercatoris, opificis...

Ad 3 part. (sed moderata). Si ultra modum appetit bonam famam, necessario labitur homo in vitia et injusticias, v. c. ambitione cupiens bonum nomen etiam non meritum, vel cum damno aliorum melius merentium, vel etiam propter malam hypocrisim...

CAPUT IV.

DE JURIBUS ET OFFICIIS ERGA ALIOS.

Jura erga Deum vel erga seipsum proprie dicta nulla habere potest homo; quare in praecedentibus capitibus de solis officiis potuit esse sermo; at nunc quum de relationibus hominum inter se agendum sit, redeunt et officia et correspondentia jura. In his tamen omnibus, sicut initio monuimus, homines inspicimus prout privata activitate utuntur, ac naturaliter aequales inter se convenient; nondum scilicet de sociali activitate loquimur, neque homines tanquam membra varie ordinatae societatis humanae consideramus.

De his ergo juribus et officiis prius aliqua generalia dicenda sunt, deinde de singulis specifica. Erit ergo :

Quaestio 1. De illis juribus et officiis in genere.

Quaestio 2. De juribus et officiis quoad animam.

Quaestio 3. Quoad corpus.

Quaestio 4. Quoad honorem.

Quaestio 5. Quoad proprietatem.

Quaestio 6. Quoad fidem datam servandam.

QUAESTIO 1.

De illis juribus et officiis in genere.

Propositio 82.

Tenetur homo lege naturali, alias homines, etiam inimicos, amare sicut seipsum.

Notiones. 1) Fundamentum officiorum erga alios homines est identitas naturae inter omnes homines existens; — eorumque formula generalissima est haec nostra propositio.

2) *Sicut seipsum*, scilicet *objective*, i. e. aliis velle et nolle eadem bona et mala ac sibi ipsi; non autem *intensive*, i. e. aequali affectus intensitate.